

Codice scheda: ASC A4580260 (Microscheda: 3995D1/E8)
Luogo e data: TORINO - 09/11/1893
Autore: RUA MICHELE
Destinatario: COOPERATORI SALESIANI E BENEFATTORI
Classificazione: Rua: Circolari, direttive, documenti
Tipo documento e supporto: Circolare - Manoscritto
Autenticità: Firma autografa

Contenuto: Tenendo conto del bisogno di Missionari e del desiderio del S. Padre Leone XIII a che si promuovano nuove opere missionarie, rende noto il programma di una spedizione straordinaria in America. (In latino).

MICHAËL RUA

SALESIANAE SOCIETATIS RECTOR

OMNIBUS EIUSDEM SOCIETATIS COOPERATORIBUS

S. D.

Vobiscum sit Domini Nostri Iesu Christi gratia.

Quum, uti meus est mos, libenter vos consiliorum meorum participes faciam, sive ad Dei gloriam augendam, sive ad Nostrae Societatis incrementum spectent, haud abs re me facturum putavi, si per has litteras rem magni momenti vobis patefacere.

Minor quotidie fit sacrarum operariorum copia, eorum praesertim qui ad exteras et longinquas regiones Evangelii lucem sint allaturi. Et sane multis Religiosorum familiis, unde ad sacras missiones ingens ad hunc diem Evangelii praeconum numerus prodicit, tum vehementes in eos excitatae tempestates, tum improbitas temporum, qua multorum refrizit caritas, magnum detrimentum intulerunt. Quocirca Praefecturas, Vicarii munera quae Sacrum Propagandae Fidei Consilium illis mandavit, viz alere et abire possunt, nedum novas sibi missiones suscipiant. In his rerum adiunctis omnes vehementer rogant, atque a nobis eflagitant, ut Christianae sapientiae praecones per nos mittantur, tum ad barbaras nationes, quae a catholica religione extorres in tenebris et in umbra mortis sedent, tum ad illos populos, qui iamdudum Evangelica luce illustrati, magno in discrimine versantur, ne aut haereticorum fraude irretiantur, aut in barbariam recidant. Nos ut hoc perficeremus saepe et variis modis incendit Leo XIII, P. S., qui nullam hortandi occasionem praetermittit, ut novas sacras expeditiones maturemus. Non desunt, fateor, egregiae spei adolescentes, ingenio et bona indole praediti, qui nihil tam cupiunt, quam in sacras mitti missiones, quo magis res poscat. Sed ad hos alendos, instituendos, atque ad omnia quae ad victum cultumque sunt necessaria, instruendos, magna pecuniae vis requiritur. Nam per multos annos enutrire atque edocere eos oportet, quae a nobis praestari haud possunt, nisi multis argenteorum millibus. Neque est praetereundum, saepe et illud occidere, ut nonnulli polliciti se in missiones profecturos, alii rei difficultate exterriti, alii alia excusantes, a consilio desistant, ingentibus tamen ante in eorum commodum a Salesiana societate sumptibus factis. Quid iter memorem, ad quod tam multa requiruntur, ut pene incredibilis res sit? Quum enim vestis multa, multa suppellex, multa ad varia vitae usum necessaria, sint illuc inde exportanda, quo se conferunt sacri operarii, nullo copiosior fit sacra expeditio, quae non quinquaginta argenteorum millibus constat. Eiusmodi, quam nunc paramus, expeditio est. Nos manet Africa, expectat Asia, nos vocat America, tum quae ad septentrionem vertit, tum quae ad meridiem porrigitur. Nec uni Evangelii praecones in regiones, quas supra memoravi, sunt dimittendi. Eos comitabuntur

et Sorores quibus a Maria Christianorum Auxilio inditum nomen est; quarum opera ob eam potissimum causam requiritur, quod quae Salesiani sodales in pueros, in viros, haec eadem in puellas, in mulieres fore praestant Virginis Deo addictae.

Solemnis, quae Augustae Taurinorum in templo dicato Beatae Virgini Christianorum Auxilio, quotannis fieri consuevere, quoties sacra aliqua expeditio est profectura, in diem designavimus. Initio Decembris itineri se committet. Ut fuis ad Deum precibus nobis adsitis, atque ut vestram stipem erogetis etiam atque etiam rogo. Subsidia enim, nunquam, ut anno proximo superiore, parciora fuerunt, eoque res est deducta, ut viz aut ne viz quidem, sacra expeditio fieri possit, nisi opem vos attuleritis. Decreta tamen expeditio est, omnia certa et constituta; delecti in varias regiones sacri operarii, omnes parati omnique fere cultu instructi. Illos quoque convenimus, qui naribus in dissitas et disiunctissimas terras sacram expeditionem sint transvecturi: pactum pretium, pacta omnia et statuta.

Ast unde, quaeret quispiam, unde subsidia eruas, quibus haec omnia peragantur? Non ulla impedimenta, nullae difficultates tanti erunt, ut ab incepto nos deterreant. Deus nunquam nostrae defuit Societati, non deerit. Gravis necessitas sacras missiones premit urgetque. Longinqua et barbarae nationes eas expostulant, animarum saluti est prospiciendum. Fieri ne potest, ut a proposito desistamus? Non est, non est animo concidendum. Sacram expeditionem instruximus, subsidia non deerunt. Non ita nos aluit Ioannes Bosco nostrae Societatis auctor, ut illis rerum difficultatibus tam facile deterreamur. Qui quum animarum salus exposceret, omnia pertentabat, nihilque reliqui faciebat, ut quae prudenter excogitasset, ad optimum finem perduceret. Nobis tam illustre Patris exemplum secutis, non dubito quin Deus, cuius Providentiam toties sumus experti, et hoc summo Societatis tempore necessarium auxilium sit praebiturus.

At quos in tanti operis societatem vocabit? Vos, vos elegit Deus sibi adiutores, quotquot Salesianorum cooperatorum consociationi nomen professi estis. Per vos potissimum stetit, per vos stabit nostra sodalitas, per quos tam multo ad hanc diem prospere acta sunt. At si in remunerationis societatem venire, si et vos sempiterna consequi ametis praemia, quae Salesianis Deus paravit, vobis est enitendum, ut alacres cum Salesianis vestram operam communicetis. Vestra in nos studia, incensam in nos voluntatem probe intelligo; vestram quoque liberalitatem saepissime expertus, in spem adducor, fore ut nunquam vestrae largitiones desint. Magna profecto res agitur. Innumeris quibus adhuc non affulsit fidei lux, sempiternae felicitatis potiundae facultas est proebenda. Quis, in extremo iudicio, quis, inquam, Iesum sic compellantem sustineat: Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi et non dedisti mihi potum; hospes eram et non collegistis me; nudus et non cooperuistis me; infirmus et in carcere et non visitastis me? Absit ut haec ipsi sitis audituri: Non certe audietis, si meminertis aliquid pueris, aliquid egenis, aliquid barbaris, aliquid nostris popularibus praestare, qui omnium fere indigentes, eorum praesertim quae animam respiciunt, dissitas et feras regiones incolunt, hoc demum esse esurientes nutrire, potum sitientibus praebere, nudos operire, indigentibus opitulari, rudes edocere. Quis enim tot pueros omnibus destitutos, qui tot gentes tenebris obvolutas, siccis aspiciat oculis? Quem innumeri nostri cives non moerent, qui in longinquas regiones migrarunt, et per immensa Africae, Asiae, Americae spatia disseminati; Dei patriaeque religionis fere sunt obliti, quia sacerdote carent, qui Dei legem, qui Christi praecepta in memoriam redigat? Quis haec videns non moeretur?

Quam igitur alios in nos mirati sumus vestram liberalitatem, qui nobis petentibus, nec tamen tot rerum angustiis laborantibus, alacres semper adfuitis, eandem et in his adiunctis fore confidimus. Exemplo vobis sint inopes ancillae, opifices multi, tanto in nos studio flagrant, ut decimam alii, alii dimidiam omnium partem offerrent, quae mercenario labore aegre sibi parassent. Divites vidimus omni rerum copia affluentes, qui generoso animo praediti large effuseque nobis subsidia praerberent. Quid? Si vel ipsae elegantiores foeminae armillis, torquibus se expoliare non dubitarunt, ut nobis pro viribus suppetias ferrent? Complures novimus, qui ut maiores copiae suppetent, quibus nostram iuarent societatem, non modo a theatris se abstinerent, sed vel a voluptariis excursibus, a vesperinis elegantiorum conventibus, et ab ipsis denique honestissimis solatiis. Pias matronas novimus delicate et molliter vivere assuetas, quae ut nos adiuarent humili veste et brevi suppellectile contentae, parcius et durius se habent, quam aut generis nobilitas, aut eorum poteretur conditio. Nec defuere qui, quum non possent pecuniam conferre, vestes, textilia, mantilia, aliaque id genus donarent, ut pro virili portione et ipsi aliquo Salesianam societatem subsidio levarent. Quae hactenus in cooperatoribus laudari, haec eandem omnes praestituros confido, qui rebus nostris student. Nam nisi prompti, iterum dico, et certantes stipem consuleritis, male metuo ne sacra expeditio ad irritum cadat. Omnem igitur in vobis spem ponimus, gloriamini Deum nos prae ceteris selegisse, quorum opera perficiat sua consilia, procul timor, ne nobis largiendo, vestrae minuantur opes. Nam e contrario illorum augeri fortunas, qui in nos liberalitate utuntur, multa testantur. En quae Ioannes Bosco moriens legavit, quaeque si in vestram memoriam redigam haud vobis ingratum fore puto: Testis equidem ego, inquit, testes omnes Salesiani sodales, complures qui tenui essent fortuna, nobis largiendo, rem suam auxisse. Quo factum est, ut mihi gratias ob liberalitatem agentis, nonnulli his verbis responderent: Quod te, quod sacras missiones beneficiis affecerim nullos mihi grates persolvas; a me potius tibi sunt agenda gratiae. Ex quo enim in te, in tuas domos, in sacras praesertim missiones pro viribus aliquid confero, non duplicatum, sed triplicatum patrimonium mihi est. Prae ceteris memorare iuvat egregium virum Antonium Cottam, Equitem beneficiarium qui ea fuit in nos liberalitate tantam vel in terris caritatis mercedem percepit, est de se haud semel haec professus sit: Quo grandiore pecuniae vim in Salesianae societatis commodum suppedito, eo magis secundis rebus utor. Re ipsa didici et in hac vita centuplum me a Deo accepisse, eorum quae in pauperes erogavi. Mira in nos beneficentia vixit ad omnem aetatis suae octogesimum sextum, quo, vocante Domino, ad sempiterna gaudia evolavit, quibus omnes qui in ceteros sint misericordes, Deus rependere consuevit.

Hi memoratis et finem litteris facturus, Deum enixe rogo, ut vobis quae sint profutura inspiret, et centuplum illud largiatur, quod illis pollicitus est, qui super egenum et pauperem intelligentes, quos praecipue indigere scient, hos sustentant et fovent.

Dabam Augustae Taurinorum IX Calendas Novemb. MDCCCXCIII.